

AD LEOTOREM.

stantem, ut Anabaptisticæ confusioni non minus ac Pontificio Primate capistrum injiciatur, Scriptura ita præeunte, probatis pariter Politicis atque Theologis arrisit, confer *Reinkingium*, *Cancellarium Holsaticum*, Carpzov. item, Ictum L. 2. Jurispr. Eccl. Defin. 247. §. 14. nec non *Hutterum* in Locis Major. fol. 581. *Gerhardum Lib. II. Special. Confess. Cathol. Art. 3. p. 523. Dannbauerum* in *Christeide Act.* I. Metamorph. 7. p. 821. *Scherzerum* Anti Bellarm. p. 219. & Job. Bened. *Carpzovium* dissert. Academ. disp. 26. Sic porro *Confessionis private*, apud Lutheranos receptæ Vili pen-
dium, quod nonnullis in ore est, castigabimus in *Weiglio*, *Zwinglio* & similibus. Zwinglius jam suo tempore à Luthero abrogationem *sellæ*, uti dicitur, *Confessionariae* po-
stulabat. *Calvinus contrà Westph.* defens. 2. p. 678. de ab-
solutione privata disputans, eam è fætidis Papæ Lacunis, &
jam toto Ecclesiæ statu vitiato, imò tota pietate eversa, à Diabolo in-
ventam esse calumniabatur. *Idem*, de vera & falsa Religione
Tit. de *Confessione* p. 216. inquit: *Fabula sunt, & nūgæ mēræ,*
quæ Pontificii de clavib⁹ polliciti sunt, (transeat hoc si de Papæ
potestate, privativè tali sermo ipsi fuerit, secus sentiendum,
ubi de Clavium virtute id intelligatur, quæ Ministerio, Ver-
bum & Sacraenta ad Christi Institutionem Scripturis con-
formiter administranti, commissæ divinitus sunt,) *His junge,*
pergit, audacium qvorundam dogmata, qui perbibuerunt,
Clavibus hominem certum fieri, cui, nisi per Fidem intus cer-
tus sit, frustra dices: Liber es! Non enim tuo verbo ipsum,
potes magis certum reddere, quam Muscam Elephantem facere,
cum dixeris: Elephas es! Verum ex parte, hoc scil. sensu, est, qvod ubi fides absit à recipiente, & nudum Opus ope-
ratum, solo videlicet oris sono, non cordis sensu, à confi-
tente

d